



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

401. Exemplar libertatis de servis ecclesiasticis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

vis communi sententia est decretum ut Archiepiscopi per singulas provincias constituti nostram auctoritatem, suffraganei autem illorum exemplar illius penes se habeant. Et quandocunque de familia Ecclesiæ utilis aliquis inventus est ordinandus, in ambone ipsa auctoritas coram populo legatur, & coram sacerdotibus & omni clero ante cornu altaris, sicut in nostra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate, libertatem consequatur, & tunc demum ad gradus ecclesiasticos promoveatur.

Burchard. lib. 2. c. 12.  
Ivo par. 6. c. 133.

De familiis monasteriorum.

CCCC. Similiter quoque de his agendum est quos laici de familia Ecclesiarum ad sacros ordines promovere voluerint. Sed & de his quos præpositi Canonorum aut monachorum ordinandos expetierint eadem forma servanda est.

Lib. 1. Capitular. c. 88.

Exemplar libertatis supra notatum.

CCCCI. Auctoritas ecclesiastica patenter admonet, insuper & majestas regia canonice religioni assensum præbet, ut quemcunque ad sacros ordines ex familia propria promovere Ecclesia quæque delegerit, in præsentia sacerdotum, Canonorum, simul & nobilium laicorum, ejus cui subjecta est subscriptione sub libertatis testamento sollemniter roboretur. Idcirco ego in Dei nomine Episcopus, vel Abbas, vel quilibet alius, annuente Christo sanctæ illius Ecclesiæ rector quendam Ecclesiæ nostræ famulum nomine illum

Burchard. lib. 2. c. 26.  
Ivo par. 6. c. 117.  
Vide to. 2. rer. Alam. G 11 lasti pag. 37. c. 7.

facris ordinibus oblatum, ad altaris cornu, in nobilium virorum præsentia per hoc auctoritatis testamentum statuo, ita ut ab hodierna die & tempore bene ingenuus atque ab omni servitutis vinculo securus permaneat tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset procreatus vel natus, eandemque pergat partem quamcunque volens canonicè elegerit, ita ut deinceps nec nobis neque successoribus nostris ullum debeat noxiæ conditionis servitium, sed omnibus diebus vitæ suæ sub certa plenissimâque ingenuitate, sicut alij cives Romani, per hunc manumissionis atque ingenuitatis titulum bene semper ingenuus atque securus existat. De suo verò peculiare quod habet, vel quod ab hinc vel deinceps assequi poterit, faciat inde secundum canonicam auctoritatem liberè quicquid voluerit. Et ut hæc ingenuitatis pagina inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria illam roboravimus.

Exemplar libertatis de proprio servo.

Burchard. lib.  
2. c. 30.  
Ivo par. 6.  
c. 131.

CCCCII. Qui debitum sibi nexum atque competens relaxat servitium, præmium in futuro apud Dominum sibi provenire non dubitat. Quapropter ego in Dei nomine ille pro remedio animæ meæ vel æterna retributione in Ecclesia sancti Petri vel illius sancti sub præsentia Episcopi vel sacerdotum ibi consistentium ac nobilium laicorum, ante cornu altaris istius Ecclesiæ, absolvo servum meum illum per hanc cartam absolutionis & ingenuitatis ab omni vinculo servitutis, ita ut ab hac die & deinceps ingenuus sit & ingenuus